

Dissertatio inauguralis medica de pica / [Rüdiger Friedrich Übelgün].

Contributors

Übelgün, Rüdiger Friedrich, 1696-
Universität Erfurt.

Publication/Creation

Erfordiae : Typis Joh. Henrici Groschii, [1719]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/fy4djhh6>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

22
Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

PICA,

QUAM

AUXILIANTE DIVINO NUMINE,

AMPLISSIMO MEDICORUM ORDINE IN HAC
PERANTIQUA HIERANA INDULGENTE,

SUB PRÆSIDIO

DEI TER OPTIMI MAXIMI

PRO DOCTORIS GRADU,

ET SUMMIS IN MEDICINA HONORIBUS, AC
PRIVILEGIIS IMPETRANDIS,
PUBLICÆ VENTILATIONI SUBMITTET,

AUCTOR

RUDIGERUS FRIDERICUS

ÜBELGÜN,

HATTNEGA - WESTPHALUS.


DIE XIX. SEPTEMBRIS ANNI MDCCXIX.

IN AUDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS,
HORIS CONSVENTIS.

ERFORDIAE,

TYPIS JOH. HENRICI GROSCHII, ACAD. TYPOGR.

V I R O
ILLUSTRI, ATQUE GENEROSO,
DOMINO
R U D I G E R O
DE WESTHOVEN,
CONSILIARIO, AC ARCHIATRO ELECTORARI.
ALIORUMQUE IMPERII STATUUM
GRAVISSIMO,
DOMINO IN GOY, RELIQUA:
AVO AC PATRONO
OMNI PIETATIS AC OBSERVANTIÆ CULTU
ÆTATEM
DEVENERANDO
D. D. D.
AUCTOR.



VIR ILLUSTRIS, AC GENEROSE,

*Domine, Ave, ac Mæcenas omni honore
pariter atque amore æternum suspi-
cende.*



Uotiescunque, Ave Venerande, Tuorum beneficiorum in me collatorum memoriam gratiâ mente recolo ; toties nequeo temperare mihi, quin in ruborem totus suffundar : à teneris enim, quod græci dicunt, unguiculis, tot in me extare voluisti beneficentiae Tuæ monumenta, ut quicquid dixero minus sit. Sicco pede prætereo complura, notatu tamen dignissima, id in præsenti tantummodo commemorans, quod me vix ex ephebis exceedentem in Domum Tuam recipere, ac ibi saluberrimis Tuis monitis non indies solum , sed

quâvis fere horâ imbuere haud dignatus sis.
Revera summâ lætitiâ adhuc perfundor, quo-
ties mentem subeunt tot Sacra, tot Philologica
juxta atque Philosophica, tot Medica toties
per tot annorum decursum affectu plusquam
paterno propinata. Tantum vero abfuit, ut
favoris illius exoptatissimi jacturam fecerim iter
ad Academias parans, ut potius ausim dicere il-
lum cā tempestate majora incrementa cepisse.
Testis est omni major exceptione litterarum
non contemnendus numerus, quas ad me sæ-
penumero dare haud gravatus es, urgente
quantumvis negotiorum undique affluentium
mole: iis vero tot rerum chymicarum æque at-
que Medicarum me partipem esse voluisti, ut
eas adhuc dum relegens lætus exultem. Col-
labantem animum, quod candidé præ me fe-
ro, his ipsis sæpius ad majora adspirare jussisti,
sæpiissime vero, errantem in viam regiam filo
quasi ariadneo deduxisti, methodum genui-
nam studiorum ante oculos ponens. Αλλὰ εἰ τῶν ἀν-
χῶν τὸν λέοντα. Neque tamen hic benevolentiae
Tuæ in me finis fuit. Enim vero studiis meis
vix coronide adornatis, in mandatis mihi dedi-
sti, ut itineri finem imponam, spe certissimâ
fre-

fretus, Te quæcunque Practica Tua, quorum
magnam partem jam mihi vendico, mecum
benevolè communicaturum fore. Proin quod
& esse, & bene esse Tibi debeam, hypsæ à cæ-
cior essem, si non viderem. Quamobrem à
multo jam tempore in id incubui, & eo omni
ope nunquam non annis sum, ut aliquod
levidense quantumvis grati animi in Te exsta-
ret testimonium ; sed spe mea hucusque fru-
stratus sum. Nunc verò ubi specimen aliquod
inaugurale publici juris faciendum fuit, bellis-
simam occasionem nactus isthoc in perpetuam
gratæ mentis tesseram Tibi sacrum facere in a-
nimum induxi. Evidem non sum nescius
vile hocce munuscum chartaceum, quod
Tibi nuncupare haud erubui, munificentia
Tuæ cumulum ne quidem attingere, nedum
exhaurire. Inprimis quum rudi illud penicil-
lo, quod ultro fateor, adumbratum sit, defici-
ente nempe librorum Tuorum suppellectile.
Cæterum fertur Apollo constructâ sibi arâ nul-
lius momenti plumulam à columbâ oblatam
majori in numero habuisse, quam multa mul-
torum eaque splendidissima dona ; & referen-
tibus litterarum monumentis magnus quon-

dam Persarum Rex exhibitam sibi manu vel
cujusvis loci aquam fronte haud indignabun-
dâ accepit. Ego pariter molâ falsâ lito, qui
thura non habeo; spem concipiens maximam,
Te, quæ Tua est humanitas, hoc grati animi
~~renuñior~~ non, ut in se est, susque deque habitu-
rum, sed æqui bonique consulturum fore.
Accipe Proinde, Ave plurimum venerande,
tenellum hunc ingenioli mei fætum fronte se-
renâ, id est, Tuâ. Consecro Tibi hunc &
cum eo me totum cùm quâ decet animi sub-
missione. Ego vero Numen supremum inter-
ea temporis ardentissimis venerabor precibus
ut Te per annos Nestoreos sospitem servet, ac
incolumen id quod vovet

T'VUS

Dabam die 9. Sept. 1719.

Obedientissimus Nepos

RUD. FRID. ÜBELGÜN.

§. I.

Uum ex veterum sententia : Δει γαρ πεπτον της φυγης σημανόμενον εἶσται ζεν εἰς τὸ ὄρθως διδάσκειν i. e. primum oportet in vocis significationem inquirere ad recte docendum : ne αὐτοῦ διδάσκειν telam dissertationis pertexere videar, eorum vestigia premere , ac quicquid intimorem sui pensationem hoc nomine exigere videtur haud secus atque pars est paucis delineatum dare in præfens visum est.

§. II.

Quod ergo ad etymologiam attinet , græcis affectus noster κίσσα, attice κίττα, aliis vero κίττωσι, audit ; latinis vero nomine picæ & picationis venit. At non unam fovent sententiam , qui vocis græcæ αἰώλου penitus rimari animum induxere. Enimvero hanc ipsam & picæ avi , & hederæ quæ κίττος & κίττος salutatur in acceptis ferunt. Qui primum locum avi vendicant varia rationum momenta in medium producunt. Ita MOSCHION cap. XXIX. περὶ γυναικῶν παθῶν καὶ παπερὶ ποικιλῆα insinuat : Certe constat inter omnes picas subinde varias addiscere voces ac versiculos , quo nomine haud dubie poëticæ dicuntur ab Isidoro , Poëtriæ vero à Persio, ut adeo vel ex hac ratione, aut potius à coloris diversitate, quâ tum ratione individui tum speciei sunt conspicuæ à Petron. in satyric. variæ, ab aliis vero picæ quasi pictæ appellantur : ut enim vulgarem mittam , dari picam glandarium, versi colo-

colorem, maculis cæruleis distinctam, ruberrimam nemo non novit, nisi in hocce studii genere hospes sit. NICOL. ROCHEUS *libr. de morb. mul. curand. cap. XXIV.* præter picturatam avis varietatem picam istiusmodi morbis nonnunquam corripi adfirmat, quâ etiam opinione imbutusest ÆGINETA *L. i. c. 1.* Haud secus ex recentiori ætate FORESTUS *libr. XVIII. ols. VII. Schol.* & cum eo complures autumant, quod ~~xixtra~~ sit dicta, vel à picæ avis varietate, vel quod hæc ipsa subinde hoc malo afficiatur.

§. III.

Tam varii vero autores varium colorem allegant, quod appetitus in affectu nostro morboso æque varius sit. Nonnullis πάνθαγον est ὄρνος κίττη, uti vide re est apud ARISTOPHAN. & PET. JOH. FABRUM *Anat. totius universi p. 336* ubi loci picam vesci omnibus arborum fructibus atque carne adfirmare nullus dubitat; & horum duetu quibusdam altè animo sedet opinio, morbum nostrum picæ denominatione insigniri, quod ibi etiam quæcunque, nullâ discretionis ratione habitâ, appetantur. Tacitus prætereo varietatem volatus atque motus ejusdem avis quam crepant alii. Neque minus in gratiam hujus dogmatis dici posset, quod, sicuti picæ coloris utplurimum sunt ex albo & nigro variegati, ita haud dissimili ratione appetitus magis feratur in alba pariter atque nigra, in quorum censu sunt, carbones, terra, creta, calx viva, testæ, fistulæ tabacaceæ & quæ sunt plura. Aliquod etiam rei momentum adferret, qui perhiberet haud secus picatas talia appetere quæ œconomiæ animali

mali nulli usui sunt, uti picis in more positum est, ea furto auferre, quemadmodum FABER l. c. elegans exemplum adducit, ubi nummum aureum in foramine altissimæ turris occultavit.

§. IV.

Qui vero *ἀπὸ τῆς κισσῆς* seu *κιττῆς* vocis denominatio-
nem arcessunt, hic loci diversa diversimode à pica-
tis appeti arbitrantur, ut hedera variis rebus *πολυτεχνή*
μαρίσιας καὶ ποικίλας περιπλέκεται, quæ sunt verba MOSCHION l.c.
Quam opinionem albo lapillo notare videtur RODER.
à Castro *de morb. mul.* l. 3. c. 9. adserens nomen illi esse
ab hederâ, quod, ut hæc variis plantis prout occur-
runt se implicit, ita picâ laborantes varia edulia ap-
petant. Neque haud ita longé ab hac sententiâ abest
HEURNIUS *libr. de morb. ventric. c. 9.*

§. V.

At vero si unum ex binis hisce dogmatibus ne-
cessario amplectendum foret, mallem priori quam
posteriori calculum adjicere. Convolvulos enim no-
mine & omine conspicuos & magis & sæpius hederâ
nullis non rebus circumvolvi usque oculis usurpare
cuivis integrum est. Cur ergo pica non his potius
nomen suum debet? sane eâdem ratione *κισσα τῇ κισσῃ*
natales suos debebit, quum ut varia reconduntur in
cista, ita hic diversis impletur cista microcosmica,
ventriculus Medicorum filiis diæta. Neque negave-
rim multis etiam premi difficultatibus etymologiam
ab ave petitam.

§. VI.

Quam ob rem crediderim eam reliquis satius de-

rivari ~~an~~ tñs ntrpias, quæ latinis arbor citria est, quod fructus haud contemnendum in pica suppeditet remedium. Enim vero corticem citri RODER à Castro l. c. dilaudat, syrupum vero & conservam cortic. citri effert cum seminibus faccharo incrustatis FRIDER. HOFFMANNUS meth. med. l. i. c. 19. p. 320. quum contra internus hederæ arboreæ C. B. vel quod eodem redit, hederæ corymbosæ communis Lobel. usus vel rarus, vel nullus sit: herba enim nervoso generi adversatur gummi causticæ, baccæ vero drasticæ indolis sunt, judice inter alios JOH. SCHRÖDERO pharmac. med. chym. l. 4. class. 1. p. m. 601. Neque ullus, quod equidem sciam, in picæ laudes ivit in picâ, nisi quis picæ usum eo nomine præconio efferre velit, quod melancholiæ opem ferre dicatur, quæ subinde pro causa morbi nostri venditatur: at & sic primum non semper hic auxilio erit, dein præsente subjecto melancholico, præfentiora, quibus scatet materiâ medica, in usum vocari possunt. Adeoque vel hoc nomine claudicat, & minoris facienda venit derivatio picæ à pica depromta.

§. VII.

Cui vero magis arridet ex linguâ nostrâ vernacula, illi offero voculam *Quitte* mala cydonea denotantem, ac cum ~~ittere~~ apprime convenientem. Fidem illi non minus habere jubet usus Medicus haud spernendus. Enim vero commendat mala cotonea post cibum BONACIOLI enn. muliebr. c. V. syrupum vero FRID. HOFFMANNUS l. c. panem eorum succo maceratum propinat FORESTUS l. c. neque minus conservam laudat

laudat RODER. à Castro *l. c.* ut alios silentii peplo involvam. In quâ opinionum bigâ eo tutius acquiescere quis posset, quod à malis citriis cotonea ex mente Matthiol. non multum differant. Ignoscat hic mihi genius tantorum virorum, qui pace illorum hunc qualem cunque ~~πράξιον~~ adduxi: me enim tenet opinio à Medico medicè non physicè, quod tamen ad unum fere omnes hic fecêre, in nomina inquirendum esse, modo munia sua rite obire velit, & quum scopus studii Asclepiadei sit praxis, illuc magis collineare debet vocum ~~πράξιον~~.

§. VIII.

Synonymicè ~~κίττα~~ latinis pica est. Non quidem me latet, quod purioris latinitatis auctores picam pro morbo accipere dubitent, inter quos cum primis agmen dicit Vossius *de vit. serm. c. 32.* cui adnumerandus venit Martinius Lexic. philolog. qui picam avem significare quidem; non vero affectionem, nisi quadam græcorum imitatione sine idoneo tamen auctore adserit: visum tamen est voculam hanc eo sensu retinere, latinâ civitate jam fere donatam, & à SCHREVELIO *Lex. manual. p. 492.* pari ratione translatam. Verbis proinde simus faciles modo conveniamus in re. Ab aliis picatio salutatur. Nonnulli Germanorum vocant das Gelüsten der schwangeren Weiber / quæ appellatio procul dubio ortum deducit à Medicorum quorundam sententiâ, quâ viris malaciam gravidis vero tantum picam tribuunt: potest hæc retineri appellatio, utpote quæ à potiori fieri confuevit, quamvis ego in ea opinione non sim.

Cæterum picam significare avem , quæ germanis nostris sub nominibus , Elster / Aßel / Wigelaßter / Alsgasten / Aegerst innotuit jam ex antecedentibus elucescit : Neque picam narium hic intellectam volo , alibi jam tractatam ; picam oris tacabacophilis non minus relinquens . Compluribus vero magni nominis Medicis malacia non minus audit , inter quas primas ducunt JOH. HEURNIUS l.c. Jul. Cæs. CLAUDINUS Empir. ration. p. 238. JOH. JONSTON. Syntagm. l. 4. de affect. abdom. & polymath. philolog. l. 2. c. 17. p. 220. BRUNO lex. Castell. p. m. 589. utpote qui ad unum omnes picam cum malaciâ confundunt : verum enim vero juvat in præsens cum Ettmüller , Langio , Menjotio , Junckero aliisque hos duos adfectus distinguere , ne de unâ fideliâ duos dealbare parietes videar , in primis quum ex effato consummatorum illorum Medicorum differant ratione objecti , modi , atqne etiam ex parte subjeeti ; iis namque malacia magis appetitus est impossibilium , pica vero absurdorum ; in malaciâ appetentia mirandum in modum ita aucta est , ut nisi voti sui compotes fiant , tristitiam summam præ se ferant , in lacrymas effundantur , lipothymia ac syncope haud raro proventu inde originem ducant , & quod mirandum vel potius miserandum tenellum fœtus corpusculum stigmate rei desideratae notetur .

Nucleum esse qui vult corticem frangere oportet , quod quum in præcedentibus factum sit ad ipsam definitionem me accingo . Est vero ~~natura~~ seu pica ap-

pe.

petitus depravatus, ubi is ipse fertur in cibos prorsus absurdos ab ideali phantasiæ debilitate, ac corruptione dependens. Visâ differentiâ inter malaciam atque picam neminem in admirationem rapiet descrip-
tio per appetitum rerum absurdarum, quæ mihi communis est cum illi. W EDELIO Præceptore meo multo nomine colendo *Pathol. Dogmat. Sect. 3. c. 2. p. 466.* THEOD ZV VINGERO *Theatr. Prax. Med p. 387.* STEPHAN. BLACKARDO *Lex. Med p. m. 75* quamvis me non fugiat MOSCHIONI esse *l. c.* appetitionem inconsueti cibi. Dein cibos allegavi, ut distinguatur à siti depravatâ admodum rarâ ex sententiâ W EDEL. *l. c.* quæ si da-
tur, meâ equidem sententiâ, ut plurimum malacia dicenda venit.

§. XI.

Ut vero altius provehar in altum ipsum nunc subiectum recto judicii oculo spectare atque pondere operæ pretium erit. Illud vero hic loci in universale, ac speciale dispescendum venit. Classem subiecti universalis sibi vendicat uterque sexus, magis tamen fœmininus, & in illo autem, & in hoc quævis ætas, cum primis vero graviditatis tempus. Possem isthæc compluribus exemplis illustrata dare, si rei necessitas id postularet, vel plagellarum angustia permitteret; unam ergo tantum alteramve observationem hanc in rem in scenam producere animus est. Viros rarius, gravius tamen subinde fœminis affici memoriæ prodidit KOZACK *trad. Med. de sale p. m. 65.* inter illos autem præcipue accusat melancholicos RODER. A CASTRO *l. c.* Hac de re legere licet SCHEN-

RIVUM, qui *Observ. Med. rar. libr. 3.* refert de Rustico, qui frusta collisarum ollarum usque secum gessit, & non minori appetitu comedit quam panem bis coctum. Qui etiam arenam à plurimis annis magnâ cum lætitia æditum edisse testatum reliquit. Neque tamen hoc præpostorum desiderii tormentum tantum masculos provectæ ætatis affigit, sed in ipsis etiam pueris non nunquam videre est. Tale cum republicâ Medicâ communicavit exemplum, ut alia in Eph. nat. Curios. *Dec. 2. ann. 8. obs. 234.* conspicienda omittam, HAGENDORNIUS *observ. rar. cent. 3. histor. 95.* ubi puer primis ætatis annis nihil magis in deliciis habuit, quam sordium esum ac usum ex equorum strigillatione propullulantium.

§. XII.

Prodeant nunc in conspectum virgines, quibus hæc tyranus sæpe numero, maxime vero appetente mensium purpurâ imperat: ita puellam duodecim annos natam pelles argenteas juxta atque aureas ingurgitasse testis est PANAROL. *observ. 38. Pentec. 3.* Tenellæ tamen ætatis puellas non minus quandoque huic malo esse obnoxias vel SCHENKII *observatio l.c.* evincit, quâ testatum fecit, puellam quatuor annorum proprios crines evulsisse, ac avidissime devorasse. Non possum, quin hic commemorem virginem apud BORELL. *histor. & observ. Med. Phys. Cent. 4. obs. 2.* ipsa stercora humana (horresco referens) exiccata, ac in pulverem redacta tanquam tragemata comedisse, latrinarum crustas chartæ involutas secum ferens. Demiranda quidem etiam, magis tamen toleranda venit

Filia

Filia Pannificis apud HAGENDORNIUM l. c. quæ quas-
cunque sordes in Platea collegit, ac avido ore inges-
tit. Maritatæ exemplum inter reliquos nobis præbet
HOFFMANNUS *apol. pro galen.* l. 3. c. 59. ubi muliercula
nunquam non devoravit cretam, sive prægnans fuit,
sive non. Caput vero observationum copiâ extollunt
uterum gerentes. Sic THEOPH BIERLINGIUS *Med.
theoret. Pract.* p. 603. gravidam adducit, quæ in dies
magna cum aviditate bonam partem de quadratâ pa-
rietas parte ingessit, donec tota consumta fuerit.
SCHENKIUS quandam refert fila devorasse prius com-
masticata. Apud Forestum quædam Picem navalem de-
glutivit. Pluribus recensendis supersedeo ne actum
agere, & iliada post Homerum scribere præter neces-
sitatem videar.

§. XIII.

Viso subiecto universali transitum ad particulare
facio, quod denuo dispescere liceat in primarium & se-
cundarium. Hanc autem distinctionem non sola ra-
tio sibi relicta peperit, sed ipsa rei necessitas. Prima-
rium est cerebrum, tanquam phantasiæ sedes ; id
quod pro parte affecta jam declaravit DOLÆUS *encycl.
med. Dogm. I. V. de morb. mul. cap. 167. p. m. 514.* Secunda-
rium vero solemnius est primo ventriculus, dein ute-
rus, rarius hypochondria, nares lingua & reliqua et-
iam fortean latiori sensu, sensuum externorum organa.
Ventriculus apud veteres, tanquam pars affe-
cta fere unica, male audit. Verum si rem recta rationis
lance trutinare fas est, neque dicta organa ex-
cludenda veniunt. Misso enim utero in causis intimi-

us pervestigando , notum est hypochondriacos magis
è virorum censu hoc morbo laborare. Nares subin-
de partem adfectam esse declarat observatio Salmuthi,
qua quædam fœtore veterum librorum delectata est,
& quæ huic de odore fæcum alvinarum affinis est, sub
causis recensenda. Papillulas nerveas in lingua vitia-
tas jam accusavit Fracassatus ep. de lingua cui subscri-
bere videtur sapor ingratorum gratissimus. Exascia-
tam vero probationem suppeditabunt exempla in cau-
sis & alibi referenda.

§. XIV.

Aureum dictum TRALLIANI est *L. 9. c. 1.* ubi inter-
notionem reftæ curationis fundamentum pronuntiat:
ordinis proinde ratione habita ad signa diagnostica
haud invitus transitum facio. Scilicet optimum o-
mnemque dubitationem eludens signum sincera, con-
grua, ac sufficiens ægri vel ægræ confessio est ac enar-
ratio: Sed vero virgines, & qui ex sexu masculino
timore ac rubore virgineo verius rusticò suffundun-
tur, subinde malum alto silentio premere solent, me-
tuentes increpationem, affectuum occultatorum de-
ductionem in apricum, ac medelam morbi, ob cibos
tantopere à se expetitos. Hic loci alia via inceden-
dum est: quævis enim obvia tum visus acie perstrin-
genda, intimiorique pensatione rimanda esse, ne-
mo nisi sensu communi destitutus; inficias ibit. Fa-
cies proinde effato Hippocratico coloris pravitatem
diuturnam tum temporis visui sæpe numero exhibet.
Quum imminet languore & ciborum salubrium fasti-
d.o tragœdiam tractu temporis insequuturam ante
oculos

oculos ponere consuevit. Præsentem vero picam, positis prioribus, extra omnem ferè dubitationis aleam collocant, adsidua salivalis lymphæ, seu menstrui universalis microcosmici ac sputi eliminatio, sensus mortificationis atque anxietatis potissimum circa orificium ventriculi sinistrum se exerens, nausea majori gradu divexus, corporis extenuatio, &, qui haud ita raro in conspectum prodit, vomitus; id quod uno ore ac unanimi consensu adfirmant tres practicorum ocelli FRANC. JOEL. *Prax. l. 4. sed. 2.* RODER. à CASTRO *l. c. & FORESTUS l. c. schol.*

§. XV.

Neque tamen cuiquam auctor atque suasor sum, ut credat, hæc signa eodem gradu, duratione, ac copiâ semper adesse; mox enim plura, mox pauciora, nunc majori, nunc minori intensione se & mentis, & corporis oculis fistunt, prout nempe diversitatem ætatis, sexus, causæ morbificæ, ac idiosyncrasia deprehendere est: Conceptam vero de pica opinionem firmabit, atque confirmabit debilitas judicii, à Medico facili negotio exploranda; ea enim subiecta, quibus mentis phases magis in decremento, quam incremento sunt, huic malo præ aliis obnoxia esse palam est. Vomitus signa causæ suppeditat, ac eo ipso magnum M denti utilitatis fructum præbet: ea vero ex facili de promi possunt ex colore, consistentia, atque ex parte etiam odore illius quod vomitione rejectum est, quæstione adsumtorum non insuper habitâ.

§. XVI.

Progressum jam facio ad caussas, ubi tot senten-

tiæ ac sensus sunt, quot auctores atque capita. Quo vero melius ex fluctuante hoc dissentientium pelago emergam, ē re erit primum aliquot opinionum divortia litteris mandare, dein observationes eorum subnētere, qui cum naturā cohabitare, quam solā ratione maluere. Denique sensa animi mei, haud secus atque par est, proponam, præmisso judicio, breviori tamen, de dogmatum adductorum diversitate.

§. XVII.

Primus ordine locus veterum solertiæ tribuendus venit. Neque hos tamen unâ sententiâ imbutos videas. Enim vero nonnulli occultas qualitates solo effectu cognoscendas in auxilium vocant. HIPPOCRATES in Coac. sanguinis φθόραν accusat. Hermeticis à priscis jam temporibus ens imaginationis, vel cum Paracelso furor uteri singulari ratione irritatus in caussâ fuit. Quibusdam cum NICOL. ROCHEO, & RODER. a CASTRO peccat humor pravus, vel excrementum quoddam, quibus oris ventriculi tunicæ sunt imbutæ, pro cuius varietate varia appeti sibi imaginantur, à quibus non usque adeo recedit PETRÆUS *Dissert. Harmon.* 25. utpote qui, vitiosum excrementum peculiari substantiæ proprietate os ventriculi infestans allegat: Haud dubie tamen illa humorum pomæria priscis Medicis angustiora visa sunt, quam ut eorum cancellis tota caussarum cohors commode includi posset: alii enim cum LUDOV. MERCATO mul. affect. l. 3. c. 10. p. 684. ipsum halitum seu flatum venditant, alii alia, quibus recensendis jure meritissimo supersedeo, ac me potius ad recentiorum placita converto,

§. XVIII.

§. XVIII.

Hi vero non minus dissertationis ferram, immagine quantum! inter se reciprocant: Helmontianista-
men eadem cum Paracelso mens est; non vero æque
cum Willisio, qui Picam deducit à sordibus per ute-
rum excludi solitis, jam vero in gravidatione retentis,
ac cum humore fermentali commixtis, quæ, quod
primatum obtineant copiâ, irritationem talem illi
faciunt, ut vehemens sui similis desiderium oboriatur.
Depravatum ventriculi fermentum æque incusant
THEOPH. BIERLINGIUS *l. c.* ac STEPH. BLANCARDUS *Lex.*
Med. p. m. 75. quorum prior illud pro caussa immedia-
ta habet. Ex Silvii sententia, picam ortum suum
debere, bili atque succo ~~E, &~~creatico vitiatis, nemo
mirabitur, qui cognitum ac exploratum habet, eum
feré universam rem Medicam ad horum humorum
bigam detorsisse; subiectit tamen haud inepté firmam
persuasionem, alimenti appetiti usum fore gratissimum
Prax. Med l 3. c. 6. ILL. WEDELIUS *Pathol. Med. Dogm.*
Sect. 3. c. 2 & theorem. *Med. Part. 2. Sect. 3.* ~~dissimilares diabolos~~
& fermentum adulteratum sequi contendit. Plura
dogmata in testimonium citare nihil attinet.

§. XIX.

Oportunum nunc est, ut ex observationibus cir-
ca picam adornatis paucas proferam. Primo vero
nemo non adfirmabit picæ præ virili, magis esse sub-
iectum sexum fæmininum, confer. DOLÆUS *l. c. p. 516.*
ex iis vero præ aliis gravidas, quod edocet observa-
tionum multitudo, quarum unam alteramve jam §.
XII adduxi; id quod etiam D. Avus in litteris ad me

exaratis propriâ experientiâ edoctus afferit, ubi simul mentionem facit duarum virginum à se curatarum, cretam , ac calcem arenâ mixtam largâ manu avidè comedentium (1) tum uterum ferentes, tum aliæ, quæ adfectu nostro corripiuntur, vel molliusculè sunt educatæ vid LANGIUS *Prax. Med. c. 2. p. 7.* vel capitosæ seu cerebrofæ, judice eodem *Disput. 41. p. 547.* vel lascivi animi deprehenduntur , cui classi accenseri meretur ex parte illa, quæ dicente LANGIO *l. 2 p. 12.* pedes nudatos præeuntis viri dentibus apprehendit; vel denique debilioris sunt judicii , cui subscribit inter alios Exc. WEDEL. *l. c.* Ego complures vidi, mentione hujus morbi injecta, in risum effusas , quas cætera in hac animæ facultate aliis palmam præripere etiam comperi. (3) Chlorosi , seu morbo virgineo correptis, familiaris morbus est ex mente LUDOV. MERCATI *l. c.* (4) Neque minus cachexia , & mensium suppressione laborantibus , quod commemorant FORESTUS *l. c.* ac HIERON. REUSNERUS *in obs. à WELSCHIO edit. obs 69. p. 40* (5) Epilepticas ac verminosas haud raro affigit , neque minus scandalo illo Medicorum, febre quartana decumbentes , quod videre est in Excell. JUNCKERI Patroni atque amici æstumatisimi *Med. theor. Pract. tab. 93. p. 604.* (6) Conjugium picam sustulisse observatum est, vid. SCHENCKIUS *l. c. p. m. 350.* (7) Subjecta melancholia secundum RODER. a CASTRO *l. c.* nonnunquam afficit. (8) Præ aliis appetunt sicciora, atque terrea. Sic argillam devoravit fæmina cacheistica apud Reusnerum : cretam prægnans, citante Foresto, ac Hoffmanno : frusta collistarum ollarum Rusticus referente

SCHEN-

SCHENKIO *l. c.* calcem vivam pugni magnitudine , nar-
rante FERNELIO *l. 6. c. 3. pathol.* Quædam limaturam
martis, alia vero plumbum recensente DOLÆO *l.c.* Cal-
cem de parietibus , terramque fornacum apud HOR-
STIUM *obs. med. tom. I. L. 4. obs. V.* Laterum fragmenta
teste RODERIC. a FONSECA *consult. med. Tom. 2. 23.* Ne
plura exempla laudem de gypso, testis , carbonibus,
& pannis attritis, quorum singula commemorari pos-
sent. (9) Appetitus hic depravatus nonnunquam etiam
versatur circa nullos cibos. Ita JOH. RUDOLPH. CAME-
RARIUS *memor. medic. Cent. 2. part. 32.* refert de uxore
Professoris Tubingensis ex foro cum ovis redeunte,
quæ Musæum ingressa suspiria eximo pectori ducens,
quæ sita, se desiderio teneri, inquit , hæc ova ex or-
dine in faciem suam projiciendi ; id quod maritus a-
more ductus eam exequi passus est linteo prætenso.
Alia Anglicana ventum ore exceptit hiante è follibus
inversis propria manu motis , qua de re nos certio-
res reddunt a&t. philosoph. anglican. ann. 1667. Mens.
Novembr. Compertum habeo exemplum , ubi pri-
mæ notæ matrona curru vehens, fæcibus alvi sterco-
rariis forte fortuna ab equis calcatis , illarum odore
ille&tæ , illos fisti jusfit , moras ibi dein per aliquod
temporis intervallum ne&tens. Relicto stercore hu-
mano §. XII. jam commemorato , notari (10) mere-
tur , quasdam ab ipsa carne humana cibum petiisse,
quale specimen posteritate reliquit MARCELL. DONA-
TUS *l. 4. c. 1. histor.* de Elisabethâ quâdam , quæ pue-
ros blanditiis suis alliciens , atque in domum intro-
ducens necavit , atque sale conditos servavit, eosque

in usum cibarium traxit ; verum ultimo à fele manum subripiente detecta , rotæ atque ignis tormento mali-
tiæ suæ pœnas dedit.

§. XX.

Si hisce observationibus , tanquam Lydio lapide , quis utatur , facile ei innotescet , quid distent æra lupi-
nis , & utrum jam recensitæ prischorum pariter atque modernorum de picæ causâ sententiæ cum veritate quadrent , an non ? Occultas qualitates asylum esse igno-
rantiæ , omnes ferè litterarum flumine inundati , hac tempestate profitentur . Furorem uteri falsitatis ar-
guit pica in viris , pueris , atque ætatis tenerimæ pu-
ellis observata vid. p. 13. §. XI. & p. 14 §. XII. Qui sola excrementa os ventriculi infestantia crepant , eos er-
roris insimulant ea , quæ de capitosis , molliter educa-
tis , ac minori judicio præditis , præter alia , sectione præcedenti allata sunt : quibus etiam Willisii dogma
infringitur . Adde , quod excremento similes res ob-
specificam irritationem atque vellicationem usque non desideretur : quis enim sibi finget fordes ex car-
ne humana in ventriculo ante ejus esum , per conse-
quens ergo aut mulieri ex Marcell. Donato citatæ fuit
in cibum apposita talis caro , quod tamen omnem fi-
dem superat , aut viri hujus laude sua cætera non de-
fraudandi hypothesis falsitatis arguenda est . Quæ est
similitudo inter excrementa ab utero regurgitantia , &
projectionem ovorum in os mariti , ventum ore ex-
ceptum , ac odorem fimi equini ? Halitus veterum
mentis fictioni , quam rationi ac experientiæ magis
affines sunt ; quis enim eorum existentiam , fiendi ac
affi-

afficiendi modum , hic demonstrationum energia ex-
hauriet? Mitto reliqua , facili negotio ab eo diluenda,
qui monstratâ observationum cynosurâ utitur.

§. XXI.

Quod ad me attinet ILL. WEDELII sententiæ , reli-
quis ferè susque deque habitis , lubens ex parte sub-
scribo , qui ipse phantasiæ debilitatem ac corruptio-
nem in definitione in medium produxi. Dogma hoc
veritati esse consentaneum , fæminæ testes sunt , quæ
hoc affectu sæpius quam viri corripiuntur , quod ju-
dicio ut plurimum minori , quam sexus masculinus ,
gaudeant. Loquuntur id non minus , vel suo exem-
plo , quæ molliusculè juniores habitæ , capitosæ , & la-
scivioris indolis sunt. Eadem etiam faciunt , tempe-
ramentum melancholicum , projeccio ovorum in os
alius , haustus aeris è follibus , odor ingratæ cloacæ
gratissimus , esus steroris humani , & reliqua ; conf.
Sect. XIX. thesist. 2.7.9. n. & §. XII.

§. XXII.

Phantasiæ hujus depravatæ originem , ut ad ipsum
fontem digitum intendam , Evæ , proh dolor ! debe-
mus , quæ res ex mandato non comedendas concipi-
scens , ac ingerens , prima , malaciâ quasi pomorum ,
laboravit. Adamus ejus desiderio morem gerens ob-
idem delictum commissum eodem malo se ; ambo ve-
ro totum genus humanum , illi obnoxium reddidê-
re. Forte etiam appetitus hic depravatus sexui se-
quiori in pœnam frequentior est , quum Eva primo
illi indulserit. Facilis jam à dispositione , quam ab
appetentia heterogeneâ ad unum omnes à primis pa-
ren-

rentibus habemus, ad ipsum habitum est transitus. Ille vero hâc tempestate in actum datur, vel à simplici phantasiæ ludibundæ intensione, ac persuasione gratum fore objectum, quale exemplum jam olim suggestit Eva, neque minus fæmina, cui odor corii fuit gratissimus apud Borellum, & quæ ex ordine ferè de aeris pica, odore fæcum alvinarum ac aliis in præcedentibus prolata sunt: Vel à quadam causa remotiori, in corporis nostri machinâ delitescente, provocatur, in cuius censu est melancholia §. XIX. thes. 7. chlorosis thes. 3. l. c. cachexia ac mensium suppressio thes. 4. l. c. epilepsia, vermes, quartana thes. 5. l. c. sæpius vero acidum, neque minus bilis, id quod edocet siccorum magis ac terreorum appetitus, quam aliorum, utpote quæ natura tanquam remedia ut plurimum desiderat; hæc enim acido absorbendo, bili vero infringendo apta nata sunt.

§. XXIII.

Non vacat in præsens rationes harum causarum, & quâ ratione talem producant effectum in apricum deducere. Sufficiat vel tribus verbis dixisse, certos motus in corpore, lege commercii arctissimi, quod animam inter atque illud intercedit, certas in ea producere perceptiones: ii vero motus quum hic ob varietatem causarum varii sint, variam appetitus ideam phantasiæ nostræ non possunt non imprimere. Verum enim vero majoris utilitatis res erit mentionem causæ injicere, quam recentiores silentio involuisse video, seminis scilicet seu liquoris seminalis. A partibus inquietissimæ hujus materiæ stat conjugium quo

quo interveniente pica sublata legitur §. XIX. *thes. 6.*
 Dein mulierum, quæ præ viris & majori & frequen-
 tiori veneris cœstro urgentur, sæpe numero occurrens
 exemplum *vid. thes. 1. l. c.* Tertiò chlorosis, *vid. thes. 3.*
l. c. quâ puellæ in pubertate affliguntur, vel paulo post
 nisi viro nupserint, cujus remedium non minus est
 cohabitatio cum viro, judice sene nostro de *morb. vir-*
gin. cui adstipulatur Joh. LANGIUS *epist. Med. p. m.*
 77. Quartò juvantia. Enim vero, ea quæ alias semi-
 nis orgasmo obicem ponunt, sæpiuscule Picam curas-
 se in confessu est. Ita Venerandus Dn. Avus cydo-
 niorum vinum cum menthæ crispæ spiritu non parum
 sæpe contulisse narrat. Cotonea nullum dubitationi
 relinquunt locum: mentham vero seminis turgescen-
 tiæ mederi fusius deduxit LANGIUS *Miscell.* super dicto:
 mentham in bello nec serito, nec metito.

§. XXIV.

Presso pede Prognosin jam prosequi leges Disser-
 tationis jubent. Constatans vero hic edocuit observa-
 tio, rarius paulo noxam quandam in subjecta Pica la-
 borantia redundasse; nisi fortasse liberius, & per lon-
 gius temporis spatium appetitui suo indulserint: ob
 vitium namque quantitatis, utpote qualitatis pejus,
 ventriculus mole ingestorum, plerumque simul gra-
 viorum tensus, non potest non in atoniam malæ notæ
 incurrere; liquor vero gastricus durioribus fractus
 atque saturatus, blandum illum irritationis sensum in
 fibrillulas nerveas vix exerere, atque ita appetitiam
 producere potest. Ex chylo ab adsumtis fæculento,
 & minus ob tonum debilem, ac solventis liquidi ineffi-

caciam elaborato, non aliis quam sanguis vappescens, spiritibus destitutus, ac spissus provenire potest; vitia enim concoctionis primæ, secundum axioma medicum, nequeunt corrigi in posteriori. Hic sanguis spissitudine peccans tardiori gressu per systema arteriosum venosum fertur, & quum hæc crassities sit maritata, ac in gremio suo quasi gerat portiunculas graviores, quæ edulia non raro Picâ affectis arrident, quemadmodum id jam semel atque iterum monitum est, tonus atque robur vasorum arteriosorum, haud secus atque prius ventriculi, imminuitur; cum primis vero delicata lymphaticorum structura, ex tunicâ simplici ac diaphanâ constans, à gravibus hisce vel tenditur, vel plane malo omne rupturam patitur. Hæc procul dubio caussa est, quod Joh. JONSTON *Syntag.* l. 4. c. 14. curationem festinandam esse jubeat, ne cachexia atque hydrops accerseantur; quarum proventui velificat, suppositis prioribus, motus sanguinis circulatorius ob vappescientiam, partium agiliorum absentiam, & contractilitatem vasorum inertem lento gradu procedens, ac ad organa se- & excretoria appellens, ex quo fit, ut partes serosæ, quæ ordinariò ita è corporis œconomia proscribuntur, in massâ humorum retineantur, quæ vasa, in primis vero lymphatica particulis suis lubricis, flexilibus, lævibus atque anguilliformibus, subeuntes ea relaxant, copiâ extendunt, recrementis vero Salino-Sulphureis rodunt, ut tandem vel rupturam minentur, vel actualis procedat, & cum illâ hydrops.

Interim cachexia illa, & hydrops frequentioris observationis est, in subjectis spongioso habitu simul præditis, quam in iis qui teneriore structurâ gaudent; in his enim atrophiam, hecticam, ac marasnum sæpius adnotavit Practicorum diligentia. Ita apud SCHENKUM puella quatuor annorum, jam §. XII. in testimonium citata, ultimo in tussem vehementem ac ~~atrophiam~~ totius corporis incidit, à qua difficulter liberari potuit. Aliis ex aliâ vel simili ratione aliâ damna intulit. Exemplo esse potest puer octavum annum agens, ac capillos & cretam parietum comedere consuetus, qui in calcem incidens ac largâ manu ingrens, in varia prolapsus est symptomata, ex quibus tandem diem obiit supremum, ceu id legere est in Amat. LUSITANI cent. 3. curat. 91. Neque minus hujus rei testimonium præbet himula, cretæ, luti, atque carbonum usu delestanta, in febrem, diarrhæam ac atrophiam incidens, & tandem vitam cum morte commutans vid. Ephem. N. C. Dec. 2. observ. 70. ann. 7. Humore acriore copiosius ventriculum infestante, cardialgiam, lipothymiam, quid? quod syncopen sequi, auctor est DOLÆUS l. c.

In gravidis scenam agitare, atque ludere occipit circa quadragesimum à conceptione diem secundum Ætium; si vero Primerosius audiendus est post vigesimum vel trigesimum: eamque claudere consuevit mense ab ingravidatione quarto: affirmantibus hoc ipsum HEURNIO, RIVERIO, FORESTO, atque NICOL.

ROCHEO. In diversa hic abire videtur AMBROS. PARÆUS *libr. de hom. gener. c. 5.* cui nonnunquam ad ipsum usque partum durat, & ὁμόψυφος habet Moschionem, dum infit: ἐνότε ἔως έις αὐτὸν τὸν τόκον ἐπιμένει. Facilis est conciliatio, si dixeris, prius frequentius, atque ordinariè, posterius rarius atque extraordinariè obtinere. Quod ad causam attinet, cur circa diem quadragesimum ut plurimum incipiat, ac mense quarto definiat, illam plerique, veterum vestigia sequuti, v.g. NICOL. ROCHEI, PARÆI aliorumque, rejiciunt in incrementum fætus. vomitum, atque fastidium. Scilicet primis mensibus fætus paucō alimento indiget, atque hinc facilis est, humorum excrementitiorum ad ventriculum regurgitatio ; qui vero eodem incremente maximam partem absumentur: Dein vomitu jam præsens causa morbifica ex œconomiâ animali successu temporis proscribitur. Denique per fastidium principio vitali interno ansa præbetur, ea quæ sibi ruinam minari videntur, vel subigendi, vel per organa colatoria publica eliminandi, utpote quod adsumtorum mole tum non adeo obrutum, corpori suo vacare potest.

§. XXVII.

Gravidarum valetudo præ cæteris in hoc morbo melius se habet ; modo ipsis non denegetur res expectata ; tum enim tristitia ac anxietas præcordialis incrementa capiunt, & cereum fætus corpusculum stigmate facile notatur. Cæterum spes recuperandæ sanitatis haud infima adfulget, quum animus absurdâ horrere, & ventriculus laudabilia sensim appetere occipit.

Puel-

Puellas ante annos pubertatis picâ afflictas, insequens
mensium fluxus communiter pristinæ valetudini re-
stituit; id quod majorem difficultatem involvit, ubi
illæ ipsæ debitum hoc purpureum jam aliquoties na-
turæ persolvêre, aut inordinato fluxu persolvunt: re-
censente *Exc. JUNCKERO l. c.* Illud etiam scire interest,
eo pejori in loco affectarum res esse, quo magis à con-
suetis, atque naturalibus cibis, edulia differunt, in quæ
appetitus earum fertur, & contra

§. XXVIII.

Visâ theoriâ, ad ipsam therapiam properare, &
ordo, & consuetudo monent. Heic manus medica-
ante omnia ipsi Phantasiæ adhibenda foret, si medica-
mini vis inesset atque energia immediate efficiam suam
in illam exerendi: arte ergo suppleri debet, quod na-
tura negavit; id quod primum fiet, isthane quasi ex-
altando, muniendo, atque corroborando, persuasio-
nibus à Medico ac amicis, increpationibus verò à Pa-
rentibus vel Dominis in auxilium vocatis. Gravidis
noxa & iis, & fætui inde imminens, aliis alia, ex Pro-
gnosi & individuali ad morbos propensione hausta, ob-
oculos poni possunt. Neque suo usu carere credide-
rim, si debilitatis judicii sobria mentio fiat, ut ignomi-
niæ impatientes eo magis absurdâ edulia odio prose-
qui adlaborent. Isthæc maximæ utilitatis esse vel Do-
min. PANAROLI *observ. 38. Pent. s. evincit*, qui se puel-
lam duodecim annorum solis blandis narratiunculis
restituisse testatur. Sub hac sermocinationis conti-
nuatione è re erit spiritus animales, ut plurimum hic
cum sanguine torpidiores, atque hinc ob lentum pro-

gressum ideas communicatas diutius adservantes, spirituosis exfuscitare, ut hæ ipsæ tum ob motum celeiorem, tum vigorem ac prædominium aliarum portiuncularum eo citius deleantur. Atque hæc fortasse inter alia causa est, quod ÆGINETA usum vini vetusti, ac odorati dilaudet: SILVIUS tincturam cinnamomi cum spiritu vini rectificato paratam commendet atque salia volatilia: FRANC. JOEL Vinum Rhenanum atque Malvaticum laudibus efferat. Si appetitus hic absurdorum simul mirum in modum auctus est, Walæi consilium opium propinantis in usum trahi potest. His ita peractis, causis remotioribus, si adsunt, medela facienda venit, quo penitus tollatur omne, quod motus illos anomalous excitare potest; id quod fiet ope subsidiorum, quæ nobis subministrat Pharmacia, chirurgia ac Diætетica.

§. XXIX.

Fons pharmaceuticus primum suppeditat vomitoria, non nisi cum cautelis concedenda. In prægnantibus detur lenius substituto stomachico, v. g. aquâ cinamomi ex mente JONSTON. *Syntagm. l.c.* vel panis tosti bucella macerata in succo cydoniorum, vel granatorum, jubente FRANC. JOELE *l.c.* Jusculum tepidum atque pingue, & motus lenior vomitionem leniorem, meliorem, ac citiorem procurabunt. Neque tamen hoc ipsum, tanquam heroicum remedium, indiscriminatim propinandum venit, sed tum demum ubi minera morbifica ejusque somes in ventriculo hæret, præsente temperamento cholericò vel bilioso, non melancholico, magis in sexu masculino quam

quam sequiori, cū virium vigore, quam debilitate, & sic
 in cæteris. Quod ad purgantia attinet, cum iis subtimide
 nos gerere in minoribus fætibus jubet **Cous noster**
Sect. 4. Aph. 1. cauti ergo simus hoc in malo, dum il-
 le increscit, ut plurimum cessante. In usum vocen-
 tur leniora, quæ commendante ZVINGERO, obser-
 vante vero FORESTO & JOELE non nunquam picam tol-
 lunt. Ex his vero pulverem jalappæ in morem Sim.
 Pauli aquæ cinamomi infusam laudarem. Pilulæ de
 succino Cratonis in fæminis omnibus aliis palmam
 reddunt dubiam. Bile peccante, ac in primis viis sta-
 bulante Electuar. Cholagog. SILVII vel simile pharma-
 con exhiberi potest, ubi vero acidum hostile sedem
 ibi fixit, iis præmittenda veniunt absorbentia. Mar-
 tialia aliave: dein laxantia peritè substituenda sunt, qui-
 bus acidum, experimento SILVIANO, non prius nisi ter-
 reis aliisque fractum auscultat; neque tamen usus
 præcipitantium nimius sit, ne inde anorexia, cache-
 xia, dispnœa & complura alia mala, tanquam ex equo
 Trajano, originem ducant. Præsente melancholiâ,
 chlorosi, cachexiâ, mensum suppressione, epilepsîâ,
 vermibus, aut quartanâ, vel lenioribus hisce purgan-
 tibus specifica illis affectibus dicata simul commiscen-
 da, vel seorsim propinanda sunt, quorum catalogum
 brevitatis studiosus in præsens texere supersedeo. Chi-
 rurgia Venæ sectionem sistit, quam parcâ manu, & sæ-
 pe adornatam laudat RIVERIUS, ac in ipsis gravidis &
 puellis institui jubet WALÆUS: cautè tamen & cum hac
 mercandum est in senibus, pituitosis, debilibus atque
 aliis. In virginibus chlorosi, vel mensum suppres-
 sione

gione laborantibus in malleolo secus ac in gravidis fieri debet. Tum ad ea progressus fiat , quæ seorsim tanquam singularia decantat solers Practicorum observationio. Ita teste Ludov. Bonacioli polypodium siccatum efficacissimum est. HORATIUS AUGENIUS pulvrem seminis ammeos quatuor diebus successive datum, aut liberare à malo ait , vel saltem inde , affectas melius se habere. Ab omnibus ferè laudibus effertur aqua foliorum vitis Mense Majo destillata , conf. interalios DAV. HERLICHIUS cur. grav. c. 16. & JONSTON. l.c. quam etiam cum anetho datam reliquis prævaluuisse D. Avus fidem fecit expertus. Huc referri merentur , quæ de malis citriis §. VI. de cotoneis autem §. VII. prolata sunt , quæ simul ventriculi atoniæ propiciunt. Victus regimen sit temperatum ; tempestantia enim judice PANAROLO optimum est remedium. Pulmentum ex amylo confectum multorum commendatione instar omnium est. Uvam crispam. seu grossulariam spinosam silvestrem BAUH. mediæ ætatis cum SEBIZIO dilaudat S PAULLI Q. B. CLASS. 2 p. m. 187. neque minus glandium terrestrium usum l.c. class. tert. p. m. 358. Vocis usas sit frequens, vel lectio ni deditæ sint, ut animus cogitationibus absurdis non adeo indulgere valeat.

T A N T U M!

